

plebanum, sive ejus nomine, coram nobis producta, cuius tenor talis est: Coram vobis R:mo D. Episcopo Castell: comparet ven. vir presb. Antonius Michaelis plebanus Eccl: S. Cassiani &c. Et viso certo instrumento privato de confessione facta per dictum S: Bonannum de Ducatis 50, receptis a dicto D. Plebano, et causa et partis in dicto instrumento contentis: ac aucto et examinato Notario ipsius instrumenti, et testibus in eo scriptis, et coram attestantibus, bene et diligenter instructis; et consideratis ac visis dictis et informationibus quorumdam nobilium super hac causa examinatorum: ac visis et consideratis certis literis productis per utramque partem, et maxime una litera de manu Johannis Michaelis fratri dicti D. plebani, redempti a barbaris per ipsum S: Bonannum. Visa etiam attestacione presb. olim Antonii, nunc Capellani Capitanei galearum Barbariae, et recognitione sua certe per ipsum scripta: et habita informatione utilitatis et lucri, quod verisimiliter sequi poterat de Duc. 50 perceptis, trasfatis ad illud viagum, deductis expensis, que etiam sequi potuerunt; ac habita informatione valoris petiarum XI pannorum de Valentia pro redemptione dicti Johannis exportatorum, ut scripsit dictus redemptus, et defalcatis defalcandis, et additis addendis, factaque etiam ratione denariorum receptorum amore Dei a piis et devotis fidibus pro redemptione ejusdem: et visis et consideratis oppositionibus et allegationibus dicti D. plebani tunc S. Cassiani; et visis et examinatis scripturis hinc inde productis, et toto processu pu. attestacionis et processus, et monitionibus et terminis datis hiac inde ad probationem suorum jurium, Partibus nichil